

faciem, folia et capitulorum magnitudinem praesertim *Sc. tuberosae* Pall. simillima, sed ab ea eximie distincta capitulis cylindricis nec brevibus subrotundis.

**Obs.** *Podospermum villosum* Stev. *Sc. villosa* M. B. non Scop. est species in toto Oriente ab Atticâ per Asiam minorem, provincias Caucasicas, Russiam meridionalem et Persiam australem (Kotschy) late sparsa et cui adnumerandae sunt: *Sc. calvescens*, *Szowitsii*, *velutina* et *Astrakanica* DC. *Sc. undulata* DC. Prod. quoad plantam Orientalem probabilissime quoque *Sc. araneosa* Sibth. *Pod. molle* Fisch. et M. *Sc. mollis* M. B. vix differt foliis strictis erectis non undulatis et probabiliter est quoque varietas hujus speciei.

**SCORZONERA LIMNOPHILA** Boiss. loc. cit. Febr. 1845. (Sect. *Gelosia* DC.)

*Sc. glaberrima*, radice tuberosâ ovatâ crassâ, foliis omnibus radicibus humi expansis linearibus brevibus viridibus nervo medio albido instructis, pedunculis unifloris foliolo ad medium instructis monocephalis basi ascendentibus foliis paulo longioribus, capitulis cylindricis paucifloris involuci squamis paucis, inferioribus ovato-rotundis, interioribus lanceolatis obtusis triplo longioribus, flosculis marginalibus extus purpurascientibus caeterum luteis involuerum superantibus, acheniis erostriatis marginalibus oblongo-compressis secus strias muriculatis interioribus breviter cylindricis angulatis laevibus, pappi sordide albi achenium subaequantis setis acheniorum marginalium plumosis, interiorum caducis vix plumosis scabridis.

Hab. in paludosis alpinis *Persiae australis* ad fontem Dcheschme Pias montis *Kuh-Daëna* Kotschy No. 737.

Folia sesquipollicaria 2 lineas lata, scapi 2-3 pollicares, magnitudo capitulorum et habitus *Sc. pygmaeae*, quae caeterum longe differt rhizomate crasso caespitoso, squamarum involueri forma DC.

**Obs.** *Sc. elata* Boiss. diagn. No. 4. *Sc. strictae* Hornem. appropinqua est et ei forsitan nimium affinis praesertim ejus varietas angustifolia quae a planta Rossica tantum differt collo radicis nudo, glabritate et involuci squamis longe attenuato-acuminatis.

**SCORZONERA ISPAHANICA** Boiss. (Sect. *Lasiospora* DC.)

*Sc. tota dense lana floccosa demum secedenti obsita*, caule simplici inferne folioso superne elongato-paniculato, foliis oblongo-lanceolatis